...slaus
...nnis: Luctuosa catastrophe
pro immaturo obitu D. Stanislai
Naruszewicz.

L
C

MA

NA

Nor
te
Per M.
uum

Sniell

LVCTVOSA CATHASTROPHE

PRO

Immaturo obitu

MAGNIFICI AC GENEROSI DOMINI,

D. STANISLAI NARVSZEWIC DE NOWIDWOR.

Non ſine lachrymis exuta mortalitā
te in immortalitatem tranſlati.

Per M. IOANNEM MACHATAR de Wiſchowia Mora
uum in Collegio Academico Białenſi Philoſophiæ
Profeſſorem luctui

EXPORRECTA

Anno à Partu Virginis 1649.

LVBLINI,

Excell. Dni Papejkowski d.
17.

IN STEMMA ANTIQVÆ DOMVS.



CYnthia ſolquè ſuo luceſcunt lumine Mundo,
Sicquè vnum clarà lumina luce iuuant.
Arte voles Patriam, laudato aut Marte tueri,
Præſtat id; hos tot habens Aſcia bina viros.

ILLVSTRI AC MAGNIFICO DOMINO
D. CHRISTOPHORO PIEKARSKI,
Palatinatus Brestensis Militum Tribuno &c. Domino & Patrono amplissimo.

TVlisset inexorabilis fati clementia Illustris & Magnifice Domine, maluissem crepundiis phaleris que lætioribus Tuum adire conspectum, quam tristibus iterare Næniis mærorem. Et sanè si disserendi dictionem mutare possem mallem Generum Tuum inter lætandum Viuum deprædicare, quàm in tumbâ mutum, inter lachrymandum lugubrem intonando Lessum deplorare. At vt nascendi sic moriendi incerta conditio hanc immutabilem legem, & irreuocabile hoc tributum possedit, vt demortuum mirari non sit necesse, cum illa iam insignis paruo clausa tumulo latet amplitudo, & depressa iacet Vitæ celsitudo. Niueus ille eloquentiæ Romanæ Princeps Cicero, Tulliæ Filiolæ fato sibi ereptæ memoriam paterni affectus relicturus Mausæolum affabrè erexit, in hoc æneam lampadem oleo incombustibili plenam interclusit, quæ Tulliæ subterraneo fulgore ad supremum obsequium data annorum circiter 1550 spatio arsit, nec nisi admisso aere extincta memoriam diminuit, non lampadem vnius venti difflatu comminutam, non Olybii lucernam similem in agro Patauiano erutam, non Lemniscatos ad fucum Colossos sed solida heroicarum Virtutum documenta in Magnifico STANISLAO NARVSZEWICZ pulherrimè coarctata & expressa posthumæ gloriæ venio consecratum, intuebitur, hæc sera posteritas, & in sui memoriam immorituro venient æuo. Patieris non nihil spero in Tuum hæc venire gremium Illustris Domine & sines hac ferali cupresso larium vestibula obumbrare, Viuum Cælo atquè triumphantem in recordationem piam deuocari. Inueterauit Aegyptiano quondam hic mos populo vt cum Dynastæ fatis concederent status vtriusquè hominum ordo tristibus se coniiceret singultibus, distortis per tempora capillis, cinere consperso capite acerbe ingemisceret: sed & Tu in saxum non obduruisti, quantum enim doles quantum tecum Prosapia mæsta mæret nemo non videt. Amisisti Generum qui

rum qui gloriosè & laudabilitèr patriæ iuuandæ, Familiæ ornandæ refloruerat, condolere tanto bono amisso æquum est, vrnam lachrymis irrigare boni affectus est, demissos per frontem crines lacerare rudiori tempore non nostro sæculo visum. Gracchorum mater Cornelia ex fatali Filiorum obitu dolorem procedentem lenitura, eximias, Filiorum Virtutes paternæ gloriæ à primis annis solicitè & grauiter quæsitas, ingenii celebritate, maturitate iudicii, bonis literis, cultis moribus, belligerandiquè dexteritate partas, sæpenumero commemorabat, vt horum memoria sensibus dolore distractis foret medicina. Illustris Domine, Gener Tuus omnium Virtutum fuit complexio, defige in hunc mentem & oculos, illa tunc ingens doloris & querellarum materies consolandi excutiet materiem, quod vt crebro facias, rudi calamo demortui virtutes præclaras delineatas in theatrum legentium à me introductas benigno vultu suscipe, & me tuum vt soles affabili affectu & fauore tueâre: Biatæ ex Musæo Philosophico. 22. Februarij A. 1649.

Illustris Magnificentiæ Tuæ

Deuotissimus Seruus.

IOANNES MACHATAR.

ORA-

ORATIO

NONDVM depletâ temporum calamitate, ob afflictæ Patriæ orbitatem lachrymas sufficienter detersimus, nondum Rempublicam edaci luctu pressam, graui planctu plenam, squallidam & multum tetram, luculenter defleuimus, nondum integerrimum pariter ac florentissimũ Regnum hoc nostrum, ex aduersæ sortis casu eliberatum, pristino restitutum statui, siccis oculis aspeximus, adhuc inter profunda suspiria, & crebros inter singultus, dolor medullitus fixus hæret; & iam iterum iterato mærore, Patriæ iuuandæ Filium optimum, Reipublicæ tuendæ Obsidem, & Ciuem eximium, selectissimæ Familiæ ornandæ, decus atqué ornamentum fulgentissimum, STANISLAVM NARVSZEWICZ, subdolâ fatorum feritate â nobis auulsũ lugemus non mediocriter; & de cuius vitâ lætari diutiùs debuimus, funestâ hac die acnimiùm luctuosâ, suprema iusta celebramus. Vegetus ille nuper, non nullas patriæ oras cæde miserâ vexatione acerbâ, flammâ ferroqué pressas & funditus deletas, iugulatorum cadauera, ad vrbis & orbis ludibrium exposita, inter compita & vicos cruorem ebullientia, mærenti sanè ac perægro percipiens animo, Optimus patriæ Ciuis tantæ cladi & vastitati gemebundus, plurimum condoluit; dolendus ipse hodie, insperato mortis improbæ tactus iaculo, concidit! nuper delubra Deorum immortalium

hostili prophanata manu, sacrarum ædium altarià ornamentis exuta, parietes peristromatibus spoliatos esse, compatientissimè ingemuit; hodie ipse plorandus, in feretro positus, inter hæc tantum squallorem præseferentia, astantium & concomitantium non sine gemitu, mutus in tumbâ, teter & squallidus tumulatur. ô mundi vices lubricas! ô detestandum fatum, ô impium! non tibi satis fuit, tot, tantas, tamqué acerbas, bonis, fortunis, Vrbibusquè nostris depopulationes inferre? in Regis potentissimi solio, in clarissimi fortunatissimiqué Regni solo vlcisci! adhuc nos Ciuibus, Ciuibus! quibus vel maximé hac temporis iactura egemus, non sinis priuare! sed quorsum in lugubres abeo threnos, quorsum nunc illæ piæ lachrymæ? mors homini natura, non pæna est, vix per hanc orimur, subito stationis nostræ tributum pensitando, non secus ac euaporabiles nebulæ, quæ per inane liquidi ætheris spacium sparsæ ab æstuantibus solis radiis fugatæ, vno difflatu dispereunt, in ictu oculi supplantamur: & ita quotquot mortalium sub hac rerum vniuersitate vitales trahunt auras, qui occasum fati sint euasuri, horū est reperire neminem, nemini fragilis vitæ præfixos terminos præterire datum, nemini mortis intra legum statuta fundatam potestatem subterfugere concessum est, nemo demum est, qui sub volubili hoc terrarum cardine fixum domicilium sibi polliceatur, qui perpetuâ sæculorū serie superstes viuat, atquè huius rei firmam habeat fiduciam.

ciam. Non dispari diuinæ voluntatis subiectus decreto, piissimus NARVSZEWICZ, consumatus in breui, nondum exacto potiori mediæ ætatis cursu mortalitatis suæ expleuit tempora, placita enim erat Deo anima illius, propter hoc festinauit educere eum de medio iniquitatum, vt reuerteretur puluis de limo terræ in terram suam vnde erat, Spiritus, diuinitatis nimirum illa particula in suæ creationis locum rediret, beatarum mentium sedes occupatura: non mortuus proinde est, sed pulchrius quàm antè viuere cæpit, mori quippe ille non potuit, qui & suis, & suorum maiorum meritis fulgentissimus resplenduit, præclaris gestorum virtutibus factus immortalis. Et cum ei qui semel fatis concessit, in hanc lucis vsuram atq; in Conspectum nostrum amplius reducendi spes nulla relinquatur, singulares eximiasquè eius Virtutes (quibus visis â lachrymis temperetis) in theatrum lucis publicæ induco. Vos Auditores Mæstissimi grata recordatione ex heroicarum virtutum documentis, qualis ille & nobilis eius stirps, in procurando communi bono, qualis in conseruanda Patria Ciuis fuerit, quâ pietate, & quo desiderio Cælestibus adscitus, inani gloriæ se se subtraxerit, æquâ animorum lance ponderando, facile percipietis: mihi verò qui sterilis & ieiunus sum, cui vt potè nulla dicendi vis & facultas insita est, dum ad enarrandas tanti Herois laudes descendo veniam date, atquè sub arctum temporis momentum, tam difficili adscito prouinciæ

uinciæ, intra non extra periculosæ adhuc nimiumquè turbulentæ in patria calamitatis metum, perturbato non placato animo fruenti, faciles ac beneuolas exhibete aures.

Atquè inprimisdum paternæ Domus gloriam, natalium præclariquè Generis claritudinem, sagaci mentis acie introspicio, innumerabiles antiquissimæ *Narvszewiciorvm* Prosapiæ Heroes, in celebri Lithuaniarum Ducatu, velut è fertilissimo pullulantis Cedri frutice, surculos pulcherrimos, vberrimè plantatos inquirere, est mihi valde arduum, & operosum, nam & æther hæreditaria eorum possessio, proprium sanctarum Virtutum domicilium non nullos meritis plenos beatæ æternitati adsciuit, alios salutis Communis retinendæ & propagandæ obsides fidelissimos, officiorum in Patria dignitas, debitus honor, splendor *Illustris*, in longiorem æui progressum, diuinitùs præordinatos diutissimos in annos victuros sibi adoptauit. Vnde quotquot maiorum series, Auorum atquè Atauorum numerus & ordo, prouidæ Mineruæ stylo in Heroum Archiuo insignignitos inscripsit, cum mea mens non sufficiat, eos tot sigillatim percurrere, in recensendis solum breui dictione factis & gestis, laudibus & meritis, facturus sum periculum. Et me hercule Magnum *Illu*strissima hac editum stirpe, quæ iam Astrorum Principem Solem, per immensa versatilis Theatri spacia, bis propè ducentos annorum cursus meare meminit. Magnificum illud etiam est gestarum re-

rum

rum magna atquè præclara, non felicitate magis, quam innata sibi virtute conficere posse, confecerunt NARVSZEWICII, hoc eis est â fatis concinnatum. Augustum est diuerso honorum fungi officio, prudentiá Patriam conseruare pacis dignitatem consilio fouere, imminentibus libertati Patriæ naufragiis, celeritate atquè industriá obuiare, obuiárunt, NARVSZEWICII hoc illis per diuina Deorum oracula ad omnem felicitatis memoriam datum & promissum. *Porrò* si promerita laudabili recordatione tantorum Virorum, â Bosphoro Cimmero Mœthidis palùdibus proximo, ad Istrum; ab hoc ad Balthicū æquor metiri desideres, extra hos conterminos amplius meritis extiterunt laudatissimi, si dignitatum excelsum gradum spectes, si præmium considerES, præstantissimis factis debitum, diuina voluntate, Serenissimorum Regum gratia, amplissimi ordinis vtriusq; Senatorii grati animi significatione, Procerum vnanimi beneuolentia, in NARVSZEVICIORVM Dynastas largiter testatū reperies cumulatissimum, volue & reuolue Annalium Codices, perpende diligentius Prærogatiuarum huius terræ album, bonorum Patriæ Ciuium nominibus insignitum, Thesaurarii fidelissimi, Capitanei prudentissimi, Castellani meritissimi NARVSZEWICIANÆ stirpis Carissima pignora, suscepto salutari & fructuoso officio, quo laudatiores eorum forent progressiones, per curam solicité, per vigilantiam impensé præstitam, à primæ ætatis cunabulis posteritati se

 se con-

se coſecrarunt. Iā verò néminiignota nemini nō manifeſta, nulli incognita, præſentis æui tēpore, Samogitienſis Caſtellaniatus dignitas, hac honorifice decoratus NARVSZEWICZ non ne cunctis ſis Heroicarum virtutum magno progreſſu documento, Patriæ Ciuis OPtime, ſingulari emolumento! ad quod gloriæ culmen Deo auſpice, Sacræ Regiæ Maieſtatis voluntate, tuo labore atqué induſtria adſcitus es, vt hic honos ampliſſimus, non modo tibi, iam pro maximis datus ſit meritis, ſed etiam in ſpem reliquorum temporum collatus, laboratum ſemper tibi fuit non ſegniter, vt dexteritatem ingenii, fidemqué in promouendo Communi bono, non modo non glorioſè impenderes, ſed & pro patriæ neceſſitate laudabiliter functiones obires, â propoſito tui tam Sancti inſtituti, nullus vnquam pro publicis negotiis labor á Te omiſſus, in dando conſilio nulla deſiderata opera in communi tuenda Salute nulla requiſita neceſſitas: ſperas enim & præſenti & poſthumæ gloriæ prodeſſe, ſi animo prōpto, vigili opera, ſolicita cura, patriæ non deſis, ſpe plenus, quod in Te factis tuis maiorum tuorum Cedri ſint reuicturæ. Et cum ad amplitudinem atquè gloriam, & ad res præclarè obeundas cælitus adiunctam eſſe fortunam palam cōſtet, non poſſū non meminiſſe felicitatis, in qua poſitū Staniſlaū NARVSZEWICIVM Magni Ducatus Lithuaniæ Referendarium, hodierna etiam dies ſuſpicit, & florere fulgentiſſimū veneratur. Cæleſtis ille bonus Diſpenſator Deus ſuperiori

Cælo-

Cælorum Syderi proficuum splendorem inseruit, vt mortalium vsibus sufficienter deseruiat Referendarium Eximium, idem Cælituum Pater, velut beneficum & salutare quoddam numen muneri, in florenti Lithuaniæ Ducatu, liberaliter præfecit, & arcanorum cum Sacra Regia Maiestate participem, diuina prouidentia constituit, talem vt pote Virum, qui dextrè, qui fideliter, tale munimen esset obiturus, qui omne ornamentum honoris, Monimentum gloriæ, insigne laudis, ad vnius salutem Patriæ impenderet prudentissimè, qui necessitatibus Reipublicæ vigilanti studio, laboriosus curator, heroico animo, intimàqué diligentià seruiret fidissimè, in quem sane si figas oculos, mirari necesse est, excelsam mentem, firmum iudicium, sagacem prouidentiam, industriam circumspectam, animum rebus in aduersis minimè fractum, in prosperis non elatum, in vtraquè fortuna sibi simillimum, non ad breuis horæ deficientem prædicationem, sed ad memoriam sequentis æui sufficientem sempiternam. In bono & Salutari Patriæ Ciue, conatus potissimum ad propagandum Commune bonum spectandi sunt, & his stricto iuncta vinculo pietas; conatibus conandum in patriæ amorem accendi, cultos desiderare mores, imperterito animo, pectora periculis pro defendenda Republica obiicere non inuidiam, non mortem metuere, æquo & pari affectu Ciues prosequi: pietate verò, quæ fluctuantis rationis moderatrix est, lumen animi, dux vitæ rex gloriæ, & æternæ felicitatis consequen-

sequen-

ſequendæ gradus, auxiliatricia conquirenda ſunt ſuffragia, huius enim fulti præſidiis, heroici animi ab omni licentiæ vento tuti, improborum ferox cogitatio compeſci, inſultantium mens inquieta, diſcors, turbida, ſub commune obedientiæ iugum leniter redigi, per duellium minæ, Barbarorum machinationes etiam clandeſtinæ facile coerceri de integro poſſunt; in NARVSZEWICIIS pro negotio Reipublicæ fideliter obeundo conatus nuſquam defuit, pietas ſemper præſto fuit, viuida reſtant & relucent veſtigia immoriturae poſteritatis ſero ſuccesura æuo. Sed neque ſinam hoc in loco, neque patiar huic antiquiſſimæ Familiæ, Illuſtriſſimas alias, eaſque non paucas Cognationis & Affinitatis nexu obſtrictas, ingrata præterire taciturnitate, hoc communis hoc cognatus a me requirit dolor, Heroicorumque geſtorum in vnum coaleſcens compago: & primum quidem Cognationis adoptiuæ in antiquitate Illuſtriſſimæ in meritis ampliſſimæ ſtirpis Wiſnowiſcianæ ius ſibi vendicat, huius præclara heroica acta, ſummo encomiorum genere occinenda, ſuis certatim ſudant virtutibus, quæ vel modicé attingere, mearum haut eſt virium, ex ſe enim magna nec laudato Iliadis putamine, nec vlla dicẽdi dictione Principum celſitudo valet compræhendi; quamquam nil tam glorioſum dari atque inueniri poteſt, quam illud Illuſtriſſimorum Principum de Wiſnowiec & zbaras pietatis & Virtutis, in cultu cæleſti propagando, in patriâ iuuandâ ſalutare emolumentum, de quo non Reges modo potentiſſimi, Sena-

torum

tentiſſimi, Senatorum & Procerum ordo ampliſſimus, populus, & quiuis rudium, ſenſu duntaxat naturæ præditus, ſed etiam tecta atquè delubra, totiuſque Regni anguli lætari videntur, nil tam in his magis ſuſpiciendum, quam illud ſupra tot Pſeudoprincipum perduelles, infractum robur illud celebre nomen, quod Cæſares & Romanum miratur & tenet Imperium, quod Sarmata venerandum nulla vſquam aboliturus eſt poſteritate. Miſſam facio SAPIHARVM Familiam, ſapientia & inuicti animi magnitudine præſtantem, NARVSZEWICIANÆ domui affinitate iunctam. Non commemoro CHOTKIEWICIOS HEROES, aut illa ſeptem belli fulmina Lithuanum aut Polonũ martem claſſico intonantia, quos non hodie. contra Moſcuæ Aquilam, ſueticũ Leonem, Othomanam Lunam, ſpe victoriæ ituros volo, ſed ſtrictæ Cognationis cum ſelectà NARVSZEWICIORVM ſtirpe memores, ad participandam de obitu STANISLAI NARVSZEWIC compaſſionem luctuoſè inuito, cecidit tot Familiis Sanguine copulatum ſolatium, & cecidit immatureſ Aui tandem & Auiæ Patris & Matris tanti Nepotis & Filii ſuperſtitem, bonarum actionum ſegetem, non verborum coloribus ſed laudabili exiſtimatione venerari, poſtea quam inſtituo, videor in Periclis faſces & purpuram, in Aſpaſiæ modeſtiam, in Manlii & Camilli genuinas dotes, in Liuiæ prudentiam incidiſſe, Pericles in altum ſublimium honorum euectus faſtigium, laureos faſces, Regalem purpu-

 ram

ram, circumſpecto intuebatur itemtidem oculo,quo ſedulius cohortaretur ad laudabilius munus obeundum, Auus tuus Staniſlae Caſtellanus Samogitiæ, non honoris tantùm quātū officii,grauiter tanto cū honore coniūcti,ſemetipſum hortabatur, & ille quidem Auus, qui dignitate *Illiuſtris* in meritoriis Reipublicæ obeundis officiis, tam felix extitit, vt cunctis frugi eſſet, noceret nemini,omnibus facilis, affabilis, atquè in ſummo illo faſtigio non magis Magnus, quam comis, ille inquam Auus qui Illuſtriſſimam Principem, de Zbaraz domo illa antiquiſſimâ, felici coniugio ſibi aduniuit;hæc illa Tua Auia orthodoxæCatholicæ Religione,fortitudine, iuſtitiæ æquo, animi generoſitate clariſſima, indole,dexteritate,ſingulari pietate, non Aſpaſiæ modo mentem, & corporis habitudinem moderatam,ſed & Lucreciæ verecundiam,pulcherrime anteiuit, nequè diu poſt eximia ſobole Patre Tuo nouo de NARVSZEWICIORVM ſanguine, inſigni Heroe Familiam recreauit, qui inter hoſtium arma fere adultus, vbi animus, vires & ætas tulit, contumaces patriæ hoſtes,toties fudit,Manlius ille Generoſiſſimus; Camillus ille fortiſſimus;de illa demū Staniſlae parente genitus es quæ lacte generoſo, de ſtirpeRayska innutrita, virtutibus innatis plena,non ſecus ac in ſeptētrionali plagâ,aurea Palātias in hoc pulcherrimo patriæ ſolo lucidiſſimaemicuit, non in hac deſiderabatur ſingularis forma,non corporis venuſtas, fluctuāntis animi ex pers fuit,non Liuiæ prudentià defuit,

Por-

Portiæ cõſtantia præfuit. Porrò Staniſlae Nepos, dum de Auorũ Illuſtriſſimâ illâ Familiarũ copulatarum progenie, dum de tanto patre de tam præclara matre naſceris, parem te his futuram prolem pollicebamur, ſpondebat hoc pueritia, ſic virtutes efformabant, quæ copioſe in te redundare videbantur, vix ê pueritia exceſſiſti lanam primæ ætatis candidam, inter limina domus, Præceptorum fidelitati commiſſus, erudiendam exercuiſti, & cum ætati maturiori maturior, ingenuo vigori adultior ſuccreſceres, Emporia Muſarum extra Patriam longo locorum interuallo ſita eruditionis, & ſapientiæ cauſa, magno animi deſiderio, celeri niſu ſolido propoſito, poſt habita itinerum difficultate, Niderlandiam conceſſiſti, ſalutare Reipublicæ & Eccleſiæ allaturus præſidium, ingenii celebritate, maturitate iudicii, dexteritate mentis, idoneam indolem bonis literis & probis moribus, mirifice, excoluiſti. Nullus Heroicus actus, nulla præclara inſignium Virorum virtus, nullum ſapientum exemplare dogma, & ſtudium, in Palæſtræ theatrum introducebatur, vt non addiſcendo ſpeculatus ſedula imitatione ſumma induſtriæ contentione imbiberes, inſumebant alii annos & impenſas opiparas. ſpectaculorum ludis oblectati ad tempus erudite fallendum oleum & operam perdebant alii, alii per aprica collium, per depreſſa vallium, per plana camporũ per odorata hortorum inter germina & flores rerelanxandum paſcebant animum. Tu comparandis quæ te

Patri

Patriæ filium eruditum Reipublicæ Ciuem eximium, paternis laribus obsidem profuturum efficerent, totum te consecrasti, consecrasti ibidem auroram tuæ ætatis Palladi laudata literatura exspoliendam, nemo te tum non suspexit, cum vltra virium facultatem maiora iam spirare, & veluti in herba spem de te Patriæ crescentem, in dies, & horas, maioribus sapientiæ incrementis augere nitebâre, & cum te eruditis consiliis, ac dexteritate, ad consulendum sibi sapientia acueret argiuum clypeum contra Belgarum hostiles hydras arripuisti, centoculus Argus strenuè nec sine spoliis decertasti, per hæc tanta tantarum Virtutum emolumenta patriæ obstrictus, exantlatis tam laboriosi study aliquot cursibus, dum iam ad ætatis floridæ annos viginti prope quatuor succederes, expectationi de te sat facturus, feliciter affulsisti, quod de aduentu gaudium? quæ voluptas? quiuis te affari, quiuis honori adciscere videbatur, domi uero inter paternos parietes, dum sementem ingenii, & prudentiæ fructuosam honestati grauiter, modestiæ, pietati applicares viriliter, omnium in ore facta tua versabâtur in omnium oculos præclaræ virtutes tuæ incurrebant. Et cū tibi de certo traducendæ vitæ statu laboratum est, dum in religione tuendâ in Patriâ iuuandâ prouectioris ætatis vir cuperes reflorescere, Sacrosancti connubii coniugale fædus ad eundum suasit diuina voluntas, Tua te assentientem induxit, quod non sine publica diuinitus effectum est fortuna; adsciuisti tibi coniugem de Illustri antiqui-

antiquiſſimæ Familiæ domo, Illuſtrium Piekarſciorum Virginem lectiſſimam, hæc illa pudiciſſima, verecundia frontis, Caſtitate mentis, candore animi, Græculam Helenam antecellit, modeſtia, comitate, & fide facile inſignior, nec iniuria, diuina enim benignitas in tuam celebrem Familiam commigrare eam ſponſam pridem deſtinauit, quæ tibi virtutibus, Auorum & Atauorum ſpendore par foret. Iunxiſti igitur tibi thalamo conſortem ad dictiſſimam, Illuſtris & Magnifici Domini Chriſtophori Piekarski Palatinatus Breſtenſis Militum Tribuni, viri in communi Reipublicæ bono iuuando, in iuſtitiæ æquo tuendo vndequaquè meritiſſimi prudentia, & pietate, iudicio & affabilitate, ampliſſimi; Filiam virtute hæreditaria nobiliſſimam, cuius grauitas cum facilitate, magnanimitas cum modeſtia, benignitas cum humanitate, prudentia cum ſimplicitate, pietas cum bonitate, vno nexu vni corpori innexæ, non in uitum etiam rapiunt in admirationem. Quodſi gentilitia de decora, præſtantiſſima heroicarum virtutum ornamenta, ipſumquè ſtemma hoc in regno ampliſſimo ſuſpiciendum intueri libeat, Aſcia eſt de TOPOR gentis â primo adhuc Sarmatiæ ſæculo florentiſſimæ, innuenda forent merita, quibus Rêpublicam Familiæ huius Heroes Illuſtriſſimi illuſtrarunt, memoranda auitæ pietatis encomia, quibus Eccleſiam ornarunt, excurrendum in omnem antiquitatis memoriam, omnia facta, geſta, facinora inſpicienda, reuidendi conatus, proferendi laborum niſus, quibus omni-

C bus

bus omnes honores omnesublimioris fortunæ fastigium, animosè & laudabiliter, solicite & sapienter deuicerunt. Hæc illa stirps est quæ gloriæ & felicitatis fontem mitem, illam nempè clementem pietatem, de supernæ Deorum sedis solio deductam, inter imperitorum rudem & agrestem gregem plantauit. seminauit Hæc illa stirps est quæ Rēpublicā inter difficultatū tempestates fluctuantem, sapienti consiliorum iudicio illæsam conseruauit. Hæc illa stirps est quæ occultas in patriam molitiones, intra viscera Patriæ scatentes lites, in Regnum irruentes hostes ita pacauit, ita feritati Scythicæ frenos iniecit, ita proterua & minitantia Moschorum odia fregit, ita strenuè Cymbros, ita generosè Iaczwingos, ita fortitér Amuratem, ita gloriosè Osmanum fudit, deleuit vicit, vt vix aliquas nec sine vulnere domum hostes reducerent cohortes. Cum Annibal formidandum illud Italiæ fulmen, propè supremum Imperio vulnus inflixisset, reperti sunt Patriæ illius scipiones Marcelli, Fabii, & Fabricii, qui copiis in Annibalem ductis, victo iugum mortis imposuerunt, sed & hæc Familia similibus triumphat, cum Pyrrhus ad belli Troiani reliquias perductus, Troiam expugnari posse docuisset, non deerant fortissimi Orestes & Polites qui Pyrrhi Aquilam multis victoriis ouantem, vinci posse docuerunt, & vicerunt, sed & hæc Familia non imparibus floruit & floret, extollat quantumuis duarum & viginti gentium ore pollentem Mithridatem Asia, efferat quantum-

uis summo encomiorum genere Alexandrum Macedonia, laudet Vrbs vrbium Roma Pompilium Numam iustitiâ & pietate Regem insignem, in Argileto Iani delubro, in Diali inMartiali, in Quirinali flamine Diis Sacro, occinat eum liberalissimum, pari libertate præditi auitæ pietatis Viri Fa miliæ huic nusquam defuêre, claruit & claret, Themisto cle Bigeniensi non vno, Deciis Romanorum superior, Lu cullo, Nomadi & scipioni nunquam cessit, Codrum Nastem & Thrasybulum æmulata, Lycurgum & Catonem Nastorem & Aristidem in sententiis ferendis, in consiliis dandis, in iustitiæ æquo præstando, hæc eadem familia præ claris virtutibus suis, sibi gloriosè efformauit; consule stirpem Tęczyniorum, perpende Magnanimorum gentem Ossoliniorum, recogita Korycinios, repete Piekarscios Asciæ reperies annexos nõ breui ad exiguũ tẽpus laude decantandos sed sẽpiternâ superstitis gloriæ prædicatione efferendos, at quorsum in vberes Orationis meæ facultatem excurrere tractus patior? quorsum exultare tàm copiosé permitto? cum ille noster Narvszewicivs, qui Sacrosancto connubii fædere, tantorum Heroum Asciæ se se adiunxerat â nostro obtuitu disiunctissimus, tot vocibus decantatus, tot virtutibus ornatus, irrefragabile fati decretum euitare minimè potuerit, feruidâ parcæ inuidiâ collapsus. Hic sané cuperem ego Auditores mæstissimi, vt dum in hoc copioso laudum pelago, Narvszewicii iucundam recordationem facio

 illud

illud narrandum præterirẽ, quod siuè mihi scribenti siue legẽtibus, stillantes excutit lachrymas, Cuperẽ vt eius decora amplitudo qui serenare diutius debuerat, nusquā mẽti meæ affulsisset, ita enim amissū virtutis ignotæ ornamentū, ita nonpalam cognitā luctus Næniā, minus affligere potuisset, & illam vberem deplorandæ sortis humanæ materiem minuere. At verò vitæ dispensator Deus, legis potestatis suæ ab æterno stabilitæ, peremptorium sorti humanæ terminum præfixit, ex illoque Sanctissimæ Triadis capitolio, in has terrarum partes Aquilam emisit, ad uolandum pullos suos pro uocaturam: grandem illam Aquilam, feralem videlicet mortem quæ suo volatu euentus inopinati, ex intimis cordis ergastulis eximit spiritum, imaquè supernis coniungit, aduolauit hæc effrena Ales nuper in Cedrum Nobilissimæ Familiæ NARVSZEWICIANÆ, & extulit medullam cedri, omnium virtutū & paternæ gloriæ decus, STANISLAVM NARVSZEWICZ, ê gremio præstantis virtutis ereptum, acerbé succedit, maturum viridi præripuitquè senium ætati, ô rerum linea! sic ne potentes petis! sed tamen non decessit NARVSZEWICIVS, at volentibus consensit astris, non deperiit sed Beatotum cætui se se hospitem addidit, non est mortuus, sed depositum terrarum orbem Speculatus, cælo fruitur, incedit per astra, atquè cum illis Cælestium Incolarum choris canticum occinit, ELEVASTI ME DOMINE ET QVASI SVPER VENTVM PONENS ELEGISTI ME. Quam raris virtutibus NARVSZE-

RVSZEWICIVS vniuerſo ſarmatiæ orbi illuxerit, nemo neſcius nihil iam de geſtis & factis amplius attinet dicere, ſat nota cunctis eius facinora nulli non manifeſta vitæ tranſactæ ſeries, nemini ignoti in Reipublicæ communi bono tuendo conatus, vnde quam felici animæ exitu ſupremã periodũ clauſerit dicendum & illud quidem inauditum; pietas huic natura fuit, quid? languebat, & viribus exhauſtus, proterua febris mephyti laceſſitus, vanæ oblitus gloriæ ſuppreſſâ paſsùm voce, vocem in IESV meo gloriabor iterabat, quid? laudabo eum inter innocentes reciprocabat, quid? dum iam cor anxiaretur, ê mortuus ueſibi videretur, arbitrio Preſbyteri conſcientiam contulit, ſupina prece, profundo ſuſpirio, feruidâ cordis compunctione; eiaculatorio nutu, pro pænitendo atquè dolendo reatu exhibito, Sacratiſſimam Synaxim, ſubmiſſo humiliter poplite, animo deſideratam pro æternitatis viatico proſperę non minus ac feliciter ſuſcepit, quid? iam iam purpuream exhalaturus animam ſuppetias DEI PARÆ aduocauit.

Ipſe tuam poſco ſer opem pia Mater egenti.
Fac humilis placeam ſeruus in Axe Deo.

Venio tandem ad te Conſors mæſtiſſima, Amici, Conſanguinei luctuoſam vobis præſento Cathaſtrophen, ſed quorum tam triſti vapulo aures nuntio? horum vt pote, qui cum iam ſcirent, triſtia me ſonare priuſquam audiant, mærent, commouet ad flendum innatus affectus, ad compati-

endum citus decessus, ad supremum vale dicendum non reditus, vulnerat nonneminem iste communis dolor, exulcerat omnes at hoc lemmate solemini Conuersatio mea in cælis est, Assumpsit me Dominus in terram &terram bonam Quampossiderunt patres nostri fruére igitur beatorum terra & Requie Aeterna Gaude.

Defecit gaudium cordis nostri Versus est in luctum chorus noster, cecidit corona capitis nostri Thren: 5.

Subsiste Titan, conde nitens iubar
Sub nube, stellæ non radient polo,
Nox atra fiat, lux Olympo
Excidat áuricomi nitoris.
Non lætiores Leucothoe dies
Reduc, sed arenti radio niues
Quas caspias sementat Arctos,
Flentibus ad gemitum resolue.
Cupressus vmbrosis oculos comis
Perstrinxit, & luctu tetigit dolor
Spem gloriæ, messem futuram,
Grande decus, columenquè stirpis.
Fors Februus bis quinque peregerat
Cursu calendas, cordis & intimum,

Hæ

Heu gaudium nostrum recessit?
Cessit in Empyreos penates.
Defecit ætatis media in via
Flos ille Narussewius? occidit
In victimam correptus agnus
Ipse alios imitatus agnos.
Non passa serum viuere posthumis
Annisqué, sæclisquè & socium thori
Regina dedignata; fecit
Mnemosynes superis perennem.
Odira clades! quem Iouis ambiit
Tutela, Reginæ Æmula non tulit
Sors sede in augustâ recondi,
Illiacôquè nitere fasce
Ast in querelas quo rapior Deæ?
Heu vester in luctum chorus incidit.
Concessit in mæsti dolosum
Imperium regimenquè lethi.
Quem Vestra Pallas Dædala robori
Comebat ibat robore Martio
Et ibat in Belgas Cerastas
Scaldigenum cinerare sæuos.
Iampectus, & iam per rigidas neces
Per mille strages duxerat anxiis
Belgis timendum, hostis lacertos
In rubeos redigendo riuos.
Partimgraui vir consilio grauis,

Partim

Partim manu Dux fortis, & immemor
Heros pericli, creuit armis
Ad columen patriæ tuendæ
Famosus, annis nescius emori
Est visus hic vitam impatiens dolï
Eclypseos què nubiumquè:
Ducere per rádios perennes.
Oraclâ Diuum, & Rhamnusiæ Deæ
Vota occinebant, gesta per ardua
Et gloriæ seræ corollam,
Tallimur? heu cadit heu corona!
Inter phalanges, inter & hostium
Postquam ruinas, pectore gloriam
Mercatur, euictus trophæi
Funeribus numerat corollam
Hinc iám iubetis pergere quo Deæ?
Canam Gigantas, vel celebrem Cyrum?
Iubet sed in tristes gemendi
Nænia pergere me coturnos.
I, rude planctu gutta genas, madens
Per frontis æquor tempora cursitet,
Eant per humentes ocellos
Oceani subitæ procellæ
Frustra sed ad flendum lachrymis pijs
Citamus æquor, mortis & alcam
Frustra molestamus, moramquè

Præcipitem querimur diei
Paucos beato lactitat hoc sinu
Virtutis ardor tumque Dei fauor,
Hic qui Dynastam collocauit
Ætheris in solio perenni.
Regnare Ciuem iussit in æthere
Dei voluntas, æuigenum solo
Fecitquè virtus, quem nec Arctos
Truserit hesperios ad Oetas.

LVBLINI,
In Officina Ioannis Wieczorkowicz,
Anno D. 1649.